

Cum vos unus amor, cum vos thorus unus habebit,  
Mille tibi amplexus, basia mille dabit.  
Et dum Luna suum decies compleuerit orbem,  
In cunis tenero vagiet ore puer.

Fridericus Hannibal Boleslaviensis.

### ALIUD.

Ergone qui calidos sensisti pectoris aestus,  
Ad medicam dubius confugis ager opem?  
Confugis, incertum nec te spes ista fefellit:  
Sed voti es compos factus, amice, tui:  
Coniugis ergo tibi quod nunc medicamen adeptus  
Grator, quæ Medico nata puella patre,  
Esto velut serpens prudenti pectore, Sponse,  
Sponsa columbina simplicitatis amans.

Matthæus Ermericus, Leorinus.

### Symbolum Frobeniorum.

Sis animo prudens, velut in certamine serpens:  
Sit veluti tua mens felle columba carens.

M. F. L.

### Aliud.

Sponsus pudica virginis integer  
Costam reposcit FROBENIVS suam,  
Subduxit olim quam supremi  
Dextera cunctipotens parentis.  
Reposcit equo numine: Candidi  
Eauete amici, faustaq; dicite  
Nunc verba tadis, nunc sonora  
Voce opus est, citharaq; dulci.  
Bonis precari prospera nam bonos  
Par est, requirit vosq; hilares sibi  
Lux fausta, quæ felice costam  
Sidere FROBENIO reducit.

B ij

Subduxit